

Descriptio.

Est turben *magnus*, *auritus*, *tuberosus*, *angulosus*, *muricatus*, *pentadactylus*: sunt et *turbines in spongiis nascentes*. *Magnus* multis voluminibus constat, margine spisso et aspero, testa alba, lineis tuberculisque multis scabra et aspera. Foramen habet rotundum, et rimam qua excrementa excernuntur. Saxis haeret turbine sursum verso. *Auriti*, tres icones habemus, quorum primus perelegantem et in mari Gallico rarum exhibet, alter, intus et in tergore ferrugineum caetera croceum, concha tuberosa, prone et supine pictum; tertius, tuberculorum, testa superius leucophaea, inferne crocea. *Tuberoso* tubercula nomen indidere. Varii est generis, longus, tenuis, acutior, laevis, albus, niger, varius. Aldro-

vandus quatuordecim Icones exhibet, ex quibus secundus, est striatus, e monte erutus. *Angulosus* exinde nomen sortitus est, quod testae volumina ita a se discreta sint, ut in medio angulos efficiant. Ustus dentificiis conficiendis utilissimus est. *Muricato*, tubercula brevia et obtusa nomen imposuere, testa est intus purpurea, foris alba, et quasi calce illita. *Pentadactylos* dicitur, quod quinque appendices longas et acutas, si extremum turbinis annumeres habeat. *Spongiis quae delectantur*, multorum sunt generum, quae omnia apud Aldrovandum videri possunt.

Conchula, quae lactea vocatur, in succo pomi Citrii, cum aqua vitae dissoluta, mulieres ad faciem fucandam utuntur.

ARTICVLVS II.

De Trochis et Nerite.

TAB. X.

Aldrov.

l. 3. c. 25.

Trochi a similitudine instrumenti, quo pueri lulant, appellantur. Omnes sunt leves et varii. Testa veluti crustis duabus constare videtur; externa minus nitet: quae subjacet unionum est splendore. Alii sunt parvi, alii oblongi. Icones exhibent *Magnos*, *Pyramidales*, *Niloticos albos et maculosos*, *Nerita* seu ut Scaliger legit *Narita*, Graecis *νηρίτης*, *ἀννηρίτης* et *ἀννίτης* apud Athenaeum, Hesychio *νηρίτος*, dicitur. Nomen a Nereo Deo marino sortitus videtur, quod is forte tali concha tanquam elegantiore buccinae loco, usus esse fingatur: sicut et Triton, quem visum auditumque in quodam specu Olyssiponensis orae concha canentem Plinius refert. Ab illis, qui Adriaticum sinum accolunt, etiam nunc veteri nomine appellatur. Testa est levi, si Aristotelis descriptionem sequimur, ampla et rotunda, forma buccinis proxima, papaver tamen non nigrum ut buccina, sed rubrum habet. Corpus medium testae firmiter annectitur. Tranquillis diebus soluti pascuntur: coortis ventis recipiunt se ad saxa cancelli, atque ibi quietem agitant. *Neritae* autem adhaerent more patellarum, et earum, quas *ἀπογάριδες* Graeci vocant, et caetera ho-

rum genera omnia. Haerent enim saxis reclinato tegumento, quod quasi tegumentum esse videantur. Quem enim usum ambae valvae biforibus, hunc praestat altera tantum pars turbinatis. Intus pulpa carnea, inque ea os. In rimis cavernisque saxorum generantur, celerique incremento augescunt. Et olfaciunt, et audiunt. Ideo silentium servant necesse est, qui eos capiunt.

De *Natatione* eorum ita Plinius. Navigant ex his *Neritae*, praebentesque concavam sui partem, et alteram aurae oppositas, per summa aequorum velificant. Aelianus et Bellonius diversos ab Aristotelis *Nerite* proponunt. *Illius* est magnitudine exigua, pulchritudine eximia, et in mari ubi sordium nihil, et tranquillitas viget, inque saxis ad imam maris sedem adhaerescitibus nascitur. *Hujus*, testam in anfractum intortam habet, qua penitus inclusa, nulla ex parte praeterquam capite conspicua est. Apud Aemericos tanta hujus testacei frequentia, ut abscedente aestu, magnos acervos e saxis colligant, et coquant. Quia papaver rubrum habet, pulmenta ex eo confecta, ac si minio tincta essent, conspiciuntur.

Motus.

Plin. H. N. l. 9. c. 33.

Arist. H. A.

l. 4. c. 4.

Graeci